

### Senectus A

Cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant nisi longam infirmitatem.

Augustinus de cathetizandis rudibus.

### Senectus B

Sicut senectus nostra puerilis et puericia senilis, id est ut nec sapiencia nostra sit cum superbia, nec humilitas cum sine sapiencia.

Augustinus super Psalmum 113.

### Senectus C

Oportet ut senilis sermo non solum sit gravis, sed eciam brevis.

Augustinus in quodam sermone.

### Senectus D

Infancia nostra innocencia sit, puericia sit reverencia, adolescencia paciencia, iuventus virtus, senium meritum, senectus nichil aliud quam canus sapiensque intellectus.

Augustinus in quodam sermone.

### Senectus E

Cum cuncta vicia in sene senescant, sola avaricia iuvenescit.

Augustinus ibidem.

### Senectus F

Quid naturam accusas, O homo? Habet illa impedimenta quedam senectutem et infirmitatem, sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis subtilior, ad constanciam subeunde mortis pocior, ad reprimendas libidines fortior. Infirmitas corporis sobrietas mentis est.

Ambrosius in hexameron libro 1.

## Senectus G

Pascha Hebraice dicitur transitus, scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est de peccato transire ad iusticiam, de viciis ad virtutes, de senectute ad infanciam, ad infanciam autem dico non etatis sed simplicitatis.

Ambrosius in sermone de pascha.

## Senectus H

Etates quedam sunt meritorum, nam et senectus morum invenitur in pueris et innocencia infancium invenitur in senibus.

Ambrosius ibidem.

## Senectus I

Nemo enim tam fractis viribus et decrepitate senectutis est, ut non se putet unum adhuc annum esse victurum.

Hieronymus in quadam epistola.

## Senectus K

Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus et crescente sola sapientia decrescunt cetera vires.

Hieronymus in epistola ad Nepocianum.

## Senectus L

Senectus eorum qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt et in lege Domini meditati sunt die ac nocte etate fit doctior usu, certior processu, temporis sapientior et veterum studiorum fructus dulcissimos metit.

Hieronymus ibidem.

## Senectus M

Inter abusiones huius seculi sola maior est senis obstinacio, qui morti proximus mortis non abhorret adventum, qui quasi ad hostium huius mundi positus foris spectat, nec tamen vite presentis attendit egressum nec future considerat. Audit nuncios mortis, et cedere non vult eis. Tres sunt enim nuncii mortis: casus infirmitas senectus, casus dubia, infirmitas gravia senectus certa nunciat, casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus presentem. Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinacio sed afflicio et humilitas sequi deberet.

Hugo de claustro anime libro 2.

## Senectus N

Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit que canitiem decent, cum vero iuveniliter senex conversatur plus iuvenibus ridiculus erit.

Chrysostomus super epistolam ad Hebreos sermone 7.

## Senectus O

Plus omnibus religioni operam dare senibus convenit quos presentis seculi florida etas transacta deservit.

Cyprianus de duodecim abusionibus.

## Senectus P

Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitu senectute confectus homo ad interitum properat, dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur cutis arescit, flatus non suaviter olet pectus suffocatur, tussis cachinat, genua trepidant, talos et pedes tumor inflat. Homo interior qui senescit his omnibus aggravatur et hec omnia ruituram iam domum nostri corporis cito pronunciant.

Cyprianus ibidem.

## Senectus Q

Quid superest nisi dum huius vite defectus appropriat, nil aliud cogitare quam quo future aditus prosperitatis comprehendatur quisque senex appetatur, iuvenibus enim incertus huius vite terminus instat, senibus vero cunctis maturior ex hac luce recessus. Cavende ergo sunt homini due particule que in illius carne non veterascunt et totum hominem ad peccandum trahunt, cor videlicet et lingua.

Cyprianus ibidem.

## Senectus R

Sicut non sunt omnes viventes pari modo vel ferventes spiritu, vel disciplinis ac moribus optimis instituti, ita nec senes quidem cuncti uno modo vel perfecti possunt vel probatissimi reperiri. Divicie enim senum non sunt canities capitis, sed industria iuventutis ac laborum preteritorum stadiis metiende.

Iohannes Cassianus in collatione abbatis Moysi 2.

## Senectus S

Non omnium seniorum quorum capita canities tegit, quosque vite longevitas sola commendat nobis sunt vestigia sectanda seu traditiones ac monita, sed eorum quos laudabiliter vitam suam ac probatissime comperimus in iuventute signasse nec presumpcionibus propriis sed maiorum tradicionibus institutos.

Ibidem.

## Senectus T

Sunt nonnulli quorum eciam quod est lugubrius maior est multitudo, qui in tempore suo que ab adolescencia sua conceperunt atque ignavia senescentes auctoritatem sibi non maturitate morum sed annorum numerositate conquerunt.

Ibidem.

## Senectus U

Nichil est quod senectuti magis noceat ac dies hominis abbreviet quam tristitia languor animi atque ira. Nichil enim est hilari senectute iocundius.

Cassiodorus in quadam epistola.

Senectus X

Amplectenda est et amanda senectus; plena est voluptatis, si illa scias uti. Gratissima sunt poma cum fugiunt. Deditos vino pocio extrema delectat quod in se iocundissimum hominis voluptas habet in finem suum differt.

Seneca epistola 12.

Senectus Y

Iocundissima est etas devexa iam non tamen preceps, quam dulce est cupiditates fatigasse aut reliquisse.

Ibidem.

Senectus Z

Molestum est, inquit, mortem ante oculos habere. Primum ista tam seni ante oculos debet esse quam iuveni. Deinde nemo tam senex est ut improbe unum diem non speret. Unus autem gradus vite est, unus autem dies par omni est.

Seneca ibidem.

Senectus AB

Gracias ago, non sencio in animo etatis iniuriam cum senciam in corpore tantum vicia et viciorum misteria senum, ut viget animus et gaudet non multum sibi esse cum corpore, portus aliquando petendus numquam recusandus.

Seneca epistola 16.

Senectus AC

Nichil turpius quam senex vivere insipiens.

Seneca epistola 12.

Senectus AD

Numera annos tuos et pudebit eadem velle que volueras moriantur ante te vicia.

Ibidem [epistola] 23.

Senectus AE

Turpis et ridiculosa res est elementarius senex. Define eadem velle senex que voluisti puer, hoc opus sit, hoc cogitato imponere veteribus malis finem.

Seneca 62. epistola.

Senectus AF

Monstro similis est avaricia senilis. Quid enim stultius est ut dici solet quam via deficiente augere viaticum.

Seneca in libro de moribus.

Senectus AG

Honestior est qui ad ocium senectutem retulit, quam qui in ocio invenit et tunc laborare incipiat.

Ibidem Seneca.

Senectus AH

Anus cum ludit morti delicia facit. Heu, quam miserum est fieri metuendo senem! Frustra ad senectam ventum est, cum repetas adolescenciam. Senectuti familiaris est loquacitas thesaurum in sepulchro ponit, qui senem heredem facit.

Seneca ibidem.

## Senectus AI

Senex facile provocatur et difficile revocatur; cito credit et tarde discredit; tenax et cupidus tristis et querulus, velox ad loquendum, et tardus ad audiendum laudat antiquos et spernit modernos; vituperat presenciam et commendat preterita; suspirat et anxiat, torpet et infirmatur. Audi poetam, multa senem circumveniunt incommoda.

Innocencius de vilitate condicionis humane.